

Cardinalis Fr. W. de Wartenberg et Ordo Praemonstratensis.

Inter episcopos qui in regionibus germanicis, saeculo decimo septimo, strenue laboraverunt in parte vineae Domini sibi concredita, locum eminentem occupat Franciscus Wilhelmus de Wartenberg, episcopus Osnabrugensis (1625-1633), exinde expulsus ob circumstantias bellicas, deinde episcopus Ratisbonensis (1652-1655 ; 1659-1661), Cardinalis creatus anno 1660 ; mortuus die 1 Decembris 1661.

Scribit de ipso Card. STEINHUBER, *Geschichte des Kollegium Germanikum Hungarikum in Rom*, Freiburg in Br., 1906, I, p. 421 : « Wäre sein Wirken nicht in die wilde Zeit des Dreissigjährigen Krieges gefallen, vielleicht hätte Deutschland an dem Bischof Wartenberg einen zweiten Karl Borromäus erhalten ».

Dr. theol. G. SCHWAIGER, anno 1954, edidit apud Karl Zink Verlag, München, monographiam : *Kardinal Franz Wilhelm von Wartenberg als Bischof von Regensburg* (Münchener Theol. Studien. I. N° 6). Pp. xvii-329. Ea quae in hac monographia exponuntur, inniuntur in pluribus fontibus, tam manuscriptis quam iam elaboratis in aliis libris.

Cardinalis von Wartenberg notus est ob indefessum ac energia plenissimum zelum quo promovit vitam ecclesiasticam quam maxime deturbatam ex bellis religiosis plurium annorum maxime in regionibus Germaniae. In diaecesi porro Ratisbonensi, in qua Cardinalis potissimum curare potuit vitam Ecclesiae sibi concreditaе plus quam semel obviam habuit tum personas, tum instituta ad Ordinem Praemonstratensem pertinentia.

Diaecesis Ratisbonensis in miserrimo statu erat, quando episcopus von Wartenberg munus suum exercere caepit. Sita erat in hac diaecesi abbatia Windbergensis, quae iteratis vicibus in actis Episcopi occurrit. In expositione pro relatione ad visitationem liminum notat episcopus relate ad abbatiam istam : « Bene adhuc in omnibus conservatur ». Post abbatiam O. S. B. Oberaltaich, est numerosior inter abbatias diaeceseos ; habet siquidem 27 professores. Abbas autem multa est perpressus in captivitate Suevorum, quam per plures menses subiit. — Inter abbatias saecularizatas, habetur abbatia Speinshartensis, quam quidem recuperare volebant Superiores Ordinis ; hucusque autem, incassum.

Cum, die 17 Maii 1660, episcopo Wartenberg bireta cardinalitia traditur, inter alios in choro cathedralis ecclesiae adest abbas Windbergensis (Michael Fuchs erat tunc Abbas Windbergensis).

Anno 1660, Synodus a Cardinali von Wartenberg convocatur; adsunt omnes abbates diaeceseos Ratisbonensis, praeter abbatem Ort. Cist. Gotteszell. Adest insuper abbas Praemonstratensis Osterhofen (abbas Johannes Bitterlee).

Plus quam semel, episcopus-Cardinalis Wartenberg nonnulla egit quae, ad mentem Praemonstratensium, ius proprii Ordinis negligerent. Ita, anno 1653, episcopus incarceravit P. Brumäum, canonicum Windbergensem, curae animarum extra muros Abbatiae addictum; hoc audito, Abbas misit Priorem ad episcopum ut manifestaret talia adversari privilegiis Ordinis. Post quatuor hebdomadas, Prior iterum adivit episcopum cum scriptis Abbatis; in vanum vero; nam episcopus simpliciter respondit se illam protestationem nihili facere.

Postquam seminarium pro educandis clericis in servitium diaecesanum erexerat, episcopus etiam cogitavit de erigendo seminario communi pro educandis religiosis, in specie pro Ordine S. Benedicti, Cisterciensium et Praemonstratensium. Similiter episcopus, ex ordinatione Concilii Tridentini easdem abbatias adegit ut singulis annis tributum ecclesiasticum solverent pro seminario diaecesano. Mirandum non est profecto plures Abbates in hac re non concordasse cum episcopo. Abbas Windbergensis praesertim in hac oppositione emittit. Cum episcopus invocaret cap. 18, de Reformatione, sess. 23 Concilii Tridentini, hac occasione, Abbas Windbergensis simul cum abbatibus praemonstratensibus plurima « petita » episcopo transmiserunt. Haec petita deperdita videntur. Subsistit vero responsum quod episcopus composuerat hac occasione: « An die Herren Praelaten des Praemonstratenserordens auf deren verschiedene petita ». Cum Praemonstratenses affirmarent se privilegium possidere, vi cuius ipsi non deberent collaborare in erectione seminarii diaeceseos, episcopus rogat ut exemplare authenticum privilegii talis sibi ostenderetur.

Monasterium Adelbergense anno 1648 finem habuit. Hac ratione, abbas huius monasterii, Schönhainz, erat absque abbatia. Cum illa aetate, etiam abbatia Speinshartensis orbata esset canonicis, propter conditiones bellicas, et nunc pace adepta, rursus occupari posset, miserunt abbates Windbergensis, Adelbergensis, et Osterhovensis

epistolam, anno 1654, ad episcopum von Wartenberg ut iterum monasterium Speinshartense occupare possent. Responsum ab episcopo huic petitioni praeparatum servatum est ; potius negativum videtur. Similiter servata est epistola episcopi Wartenberg missa episcopo auxiliari Ratisbonensi, Denich, et Romam transmissa. In hac epistola, diei 8 Novembris 1654, legimus: « Abbas Adelspergensis Ord. Praem., homo zelosus (abbas Schönhainz), sed sui capitis et minus discretus, Monachii fuit (apud gubernatores civiles) pro negotiis Ordinis missus. Inter alia ursit restitutionem monasteriorum non solum sui, sed omnium Ordinum in Palatinatu etiam iam faciendam allegatis rationibus non adeo concludentibus, praesertim apud politicos et camerales cum tum conscientias alleget et convenientias, timeo ne homo ille canes dormientes excitavit ».

Postea Abbas Praemonstratensis, Le Scellier, et ipse ad episcopum scripsit pro instaurandis abbatiis Ordinis deperditis. Responsum episcopi Wartenberg directum episcopo suo auxiliari, Denich, servatum est ; die 17 Novembris 1654 scripsit : « Generalis Praemonstratensis etiam heri mihi scripsit tantum petendo promotionem et assistentiam in restituendis illis Palatinatus monasteriis sui Ordinis. Ego in generalissimis terminis respondebo ».

Usque ad finem vitae suae Cardinalis huic proposito sese opposuit, eo quod ante omnia cogitabat de iis quae necessaria erant pro seminario diaecesano.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

St. Johann in Duisburg-Hamborn. Vom Wiederaufbau der ehemaligen Prämonstratenser-Abtei.

Der 11. April 1956 war ein trauriger Gedenktag in der Geschichte der Hamborner Prämonstratenser-Abtei. Genau 150 Jahre waren seit der Aufhebung der Abtei durch die Grossherzoglich-Belgische Regierung unter Joachim Murat, die ihren Sitz in Düsseldorf hatte, vergangen. Fast 700 Jahre hindurch war die Abtei religiöser und wirtschaftlicher Mittelpunkt im unteren Emschergebiet gewesen. 79 Bauernhöfe und 23 Katen, die im Besitz der Abtei waren, wurden damals vom Staat eingezogen. Der Kapitalwert ihrer Einkünfte wurde auf 400.000 klevische Taler geschätzt, der Wert der Gebäude auf 82.000 Taler. Da die Abteikirche Pfarrgerechtsame besass, musste sie als Pfarrkirche für die Kirchspieleingesessenen in den alten